

tam graecis quam latinis, in virtute sanct. obedientiae et sub indignationis nostrae et perpetuae suspensionis a divinis poenis districtius inhibentes ne deinceps Presbyteri graeci, praecipue uxorati, latino more et Latini-graeco Ritu hujusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis praetextu Missas et alia divina Officia celebrare vel celebrari facere praesumant.

Mandantes in virtute s. obedientiae omnibus et singulis vener. fratribus nostris Patriarchis, Primat., Archiep. et Episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari et sub praedictis et aliis sibi benevisis poenis, per quoscumque Praelatos, Capitula, Clericos, Frates, superiores et personas quilibet inviolabiliter observari faciant, Contradictores quoslibet auctoritate apost. compescendo. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apost. etc.

Datum Romae die 20. Aug. 1566.  
(Bull. r. t. VII. p. 437. Ed. Aug. Taur. 1862.)

Quaeri solet: num Sacerdos Latinus in locis Graecorum ac Graecus in Latinorum Urbe possit Eucharistiam juxta loci Ritu consecrare?

Responsio ex iis, quae de obligatione manendi in semel suscepto Ritu disputata sunt, facile patet. Nam si Latinus etiam in Oriente, qua ratione potest, tenetur proprium Ritu servare, et si Graecus in Latinorum locis eandem obligationem retinet, quin Ritu inconsulta Apostolica Sede mutare possit, palam est, Graecum in Latinorum locis ac Latinum in locis Graecorum teneri ad proprium Ritu servandum, dum Eucharistiam perficiat. Neque enim, ut ibi ostendimus, a loco pendet lex illa Ecclesiae, quae proprium cuique Ritu servare jubet, sed circa obligationem servandi pro-

rium Ritu in celebratione Eucharistiae peculiares quoque adsunt Ecclesiae leges. Praeter ea, quae ex Florentina Synodo attulimus, adest s. Pii V. Constit. incip. *Prov. Romani Pontificis* 13. Calend. Sept. 1566 in qua haec leguntur verba: „Quibusvis Presbyteris tam Graecis, quam Latinis in virtute sanctae obedientiae inhibemus, ne deinceps Presbyteri Graeci, praecipue uxorati, Latino more et Latini-Graeco Ritu, hujusmodi licentiarum aut facultatum aut quovis alio praetextu Missas et alia divina Officia celebrare aut celebrari facere praesumant.“ Et Benedictus XIV. Constitut.: *Etsi Pastoralis* \*), §. IV. n. 10. Praedecessorum ac Florentinae Synodi legem inculcans, „Districtius, inquit, inhibemus, etiam sub poenis perpetuae suspensionis a divinis, ne Presbyteri Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu, sub quovis licentiarum et facultatum Missas et alia divina Officia, Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu celebrandi, ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario pro tempore existente obtentiarum praetextu, Missas et alia divina Officia celebrare vel celebrari facere praesumant.“ Deinde prohibet, ne latinus parochus pyxidem in ciborio cum particulis sub specie fermentati pro Communione Graecorum, aut parochus graecus sub specie azymi pro Communione Latinorum in quocumque Ecclesiae suae altari retineat jubetque, ut unusquisque Sacerdos non nisi in suo sive Graeco sive Latino Ritu Eucharistiam Fidelibus porrigit. Praeterea ne laici Latini Communionem sub specie fermentati a Presbyteris Graecis recipiant, omnino interdicit; Graecis tamen laicis permittit, ut ubi propriam parochiam non habent, possint, si velint, in Ecclesia Latina Eucharistiam sub specie

\*) Vd. *Ritus graecus*.

azymi a Sacerdotibus Latinis sumere. Haec pro Graecis in Italia degentibus statuta sunt.

Atque hinc patet, primo errare Ledesmam a Verricello citatum, qui censem, teneri Latinum per Graecorum regionem transeuntem graeco more celebrare ac Graecum-Latino Ritu in locis Latinorum: nam antedictae Constitutiones sunt pro Graecis, qui sub Latinis Episcopis degunt atque adeo in Latinorum locis; secundo errare Suaresium, Vasquesium aliasque apud Vericellum tit. VIII. qu. 188., qui asserunt, Sacerdotem Graecum, qui perpetuum inter Latinos domicilium stabilierit, teneri ad celebrandum Latino Ritu; nam Ecclesia praecipit, proprium Ritu sine Apostolicae Sedis dispensatione mutare non posse jubetque etiam eos, qui in Italia sub Latinis Episcopis fixum domicilium habent, proprio more Missas aliaque divina Officia celebrare debere; tertio errare quoque Verricellum ipsum, dum loco citato ait, posse Latinum-Graeco more Graecum vero Latino Ritu celebrare in locis, in quibus proprii Ritus Ecclesiae non adsint, quod possint se loci consuetudini accommodare. Nam Ecclesia praecipit cuique proprium Ritu ubique servare ac districtius jubet, Sacerdotem quemque juxta propriae Ecclesiae consuetudinem ubique terrarum Missas celebrare debere. Neque Augustini consilium, quod habetur Epist. 128. ad Januar. quoque mores eorum quibuscum vivimus sequi monemur, ad rem facit; nam si quisque morem sequi posset Ecclesiae, in quam deveniat, posset pro libitu Ritu semel susceptum deserere illumque amplecti, quem Ecclesia teneat in quam venit: Id vero Apostolicae Sedis auctoritate prohibitum est. Deinde Augustini regula ad consuetudines legesque illas spectat, quae a loco pendeant, quibus

subjici debet quicumque in loco ubi vigeant versetur. At obligatio manendi in suscepto Ritu illumque servandi, qua ratione possit et celebrandi Missas et Officia iuxta propriae Ecclesiae morem, personas afficit, quae suscipiendo baptisma vel Ordines ex Ecclesiae lege adstricti sunt ad perseverandum in suscepto Ritu ac more propriae Ecclesiae celebrandum. Vide, quae diximus de obligatione, quam quisque habet manendi in semel suspecto Ritu.

Ex iis optime concludit Verricellus, non licere Sacerdoti Latino uti fermentato in Ecclesia Graeca, nec Graeco in Ecclesia Latina azymo, etsi populus diu deberet Sacrificio privari et morti proximus absque Viatico decidere, quia utilitas communis privatorum commodis praeferenda est, ad communem vero utilitatem pertinet Ecclesiae servare praescriptos Ritus: et quia praecipit sumenda Eucharistiae in articulo mortis et audiendi Sacri in diebus festis non obligat nisi dum Sacrum celebrari possit, servatis legibus ac Ritu ab Ecclesia stabilitis. Igitur ut Sacerdos non jejunus celebrare nequit pro communicando moribundo vel ut populus audiat Sacrum die festo: ita Sacerdos Latinus nequit in fermentato consecrare, contra Ecclesiae praecipit, ut populus Sacrum audiat vel ut morti proximus Eucharistiam sumat.

Nicolaus V. Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis haereticae pravitatis inquisitori et provinciali provinciae graeciae, Ordinis Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Pervenit ad aures nostras, quod in locis, quae catholicis in Graecia subjecta sunt, multi catholici, unionis praetextu, ad Graecos impudenter transiunt Ritus. Mirati admodum sumus miraque non desistimus, nescientes

quid sit quod eos a consuetudine ac Ritibus, in quibus nati enutritique sunt, in alienigenarum Ritus transposit: nam, etsi laudabiles Orientalis Ecclesiae Ritus sint, non licet tamen Ecclesiarum Ritus permiscere neque id unquam Sacrosanta Synodus Florentina permisit.

§. 2. Quas ob res Nos, quibus, quamvis immeritis, hujusmodi rerum omnium cura divinitus imposita est, cupientes citius, ne malum longius serpat, huic rei providere, vobis et utrique vestrum sub virtute sanctae obedientiae districte mandamus ut, auctoritate apostolica, *in omnibus locis praedictis*, cum ea ex Officio vestro visitatis, *permixtionem Rituum omnino prohibeatis*, convocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, contradictores censuris ecclesiasticis et omnibus aliis juris remediis compescendo.

Datum Romae apud Sanctam Pudentianam anno Incarnationis dominicae 6. Sept. 1448.

(Bull. r. t. V. p. 100. Ed. Aug. Taur. 1860.)

## 12) Missae.

Vd.: *Caeremoniae; Processio (mutatio); Missa (abbreviatio, ritus); Usus; Rubrica; Sepultura (Ritus); Duplex (dignitas); Benedictio Sacerd. extra miss. (decr. n. 4782 nota); Preces (genuf., decr. 11. Mart. 1820); Sacerdos inhabilis; Diaconus Missae (cant. Exultet, decr. n. 4672 nota); Festum (Ritus); Rituale roman.; Ritus latin.*

In rubrica generali Missalis 2. part. t. VII. n. 4. legitur: Sacerdos producit signum Crucis super ampullam aquae et dicit: *Deus qui humanae substantiae, similiter pro Missa solemnii eodem titulo n. 9.* — Facto versus eam ampullam aquae signo Crucis, dicit Orationem: *Deus qui humanae substantiae.* — Rubrica autem intra Missam sic habet: *Aquam miscendam in Calice*

*benedicit dicens: Deus qui humanae substantiae. Quaeritur ergo: an Oratio „Deus qui humanae“ incipienda sit a Sacerdote eodem momento, quo benedic aquam vel potius aqua tunc benedicatur nihil dicendo atque facto signo Crucis, non autem antea, haec Oratio inchoari debeat?*

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2192.)

*Ad dubium: An in Missa privata, quando minister non est superpelliceo induitus, deceat eum, lecto Offertorio a Celebrante, ad altare ascendere, accipere et plicare velum Calicis vel hic Ritus reservari debeat ministris superpelliceo induitis vel etiam celebrans ipse debeat plicare velum et super altare ponere?*

S. C. resp.: Servandam consuetudinem.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2200.)

*Dubium I.: Utrum in Missa solemnii assertae consuetudinis, possit Canonicus celebrans, dicto: munda cor meum, benedicere incensum et diaconum et evangelium legere dum illud cantatur; item Missam prosequi statim ac a choro cantatus sit versiculus symboli: Et incarnatus est; itemque omittere cantum praefationis et orationis dominicalis, iis saltem diebus, quibus habetur concio?*

*Votum Caerem. Magistri.*

Evangelium in Missa solemnii legendum non esse a Celebrante eodem tempore, quo a Diacono cantatur, satis perspicue ostendit rubrica Missalis romani et Caeremonialis Episcoporum. *Siquidem illa* (tit. VI. n. 5.) *haec praecepit:* „Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu evangelii in

*altari et ibi ministrat Celebranti, qui in medio altaris submissa voce dicto: munda cor meum et deinde lecto evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro evangeliorum ad altare, imponit incensum in thuribulum. Postea Diaconus genuflexus ante altare dicit: Munda cor meum etc. et accipiens librum evangeliorum de altari, petit benedictionem a Celebrante... Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu epistolae, ibi stat junctis manibus. Et cum Diaconus dicit: Sequentia etc., Sacerdos etiam signat se; et cum nominatur Jesus, caput inclinat versus altare.“*

*Caeremoniale autem Episcoporum* (lib. II. cap. 8.) *ita jubet:* „Finita epistola Episcopus sedens ex libro Missali legit tractum et alia usque ad finem evangelii. ... Cum cantatur ultimus versus gradualis Diaconus sumpto libro evangeliorum illum clausum affert ad altare. Interim accedit acolitus ad Episcopum cum thuribulo et navicula et ministrante illa Presbytero assistente Episcopus imponit et benedic incensum. ... Circa finem ultimi versus gradualis Diaconus portans librum evangeliorum venit ante Episcopum et inclinatus petit benedictionem... Diaconus cum tempus est incipit evangelium, Episcopus depositis gremiali et mitra signat se in fronte, ore et pectore: tum retinet baculum inter ambas ejus manus juntas stans versus Diaconum cantantem“ etc. Praeterea Missam prosequendam non esse, nisi postquam absolutum fuerit a choro symbolum, indicant illa verba rubricae Missalis (tit. VI. n. 7.): „Cum vero in symbolo cantatum fuerit: Et incarnatus est etc., Diaconus accepta bursa de credentialia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentis ad medium altaris, in quo explicit corporale et revertitur ad

*Celebrantem.“ Quod vero indirecte eruitur ex allata rubrica, expressis verbis ostendit *Caeremoniale Episcoporum* (l. c.): „Circa finem symboli surgunt omnes ministri, eo vero prorus a choro cantato surgit Episcopus, depositis gremiali et mitra; et stans in sua Sede cantat versus populum: Dominus vobiscum.“ Tandem rubrica generalis ejusdem Missalis (tit. XVI. n. 3.) et praefati Caeremonialis (l. c.) mandat in Missa solemnii cantandum esse a Celebrante: „Dominus vobiscum et orationes ante epistolam; Dominus vobiscum et Oremus ante Offertorium; Praefationem; per omnia saecula saeculorum cum Pater noster“ etc. Adeo autem, quas hucusque exposuimus, rubricarum dispositiones ad praepositam speciem referuntur, ut earum vi diversa quaelibet consuetudo infirmetur. Adsunt quoque nonnulla hujus S. Cong. decreta, quibus hujusmodi consuetudines proscribuntur. Porro cum in una Benevent. quaereretur: *An Missa solemnis prosequi possit, dum a choro cantatur symbolum?* sub die 13. Sept. 1670 resonsum est: *Non posse*; iisdemque verbis in una Januen. diei 17. Decb. 1695. Item Episcopo Conimbricensi sciscitanti: *an in Missa conventionali cani semper beat Praefatio et Pater noster?* sub die 14. Aprilis 1753 respons. est: *Affirmative, iuxta prescriptum Caeremonialis Episcoporum et amplius.* Post haec nullius roboris sunt quadam statuta inter capitulum et Episcopum s. Jacobi de Chili anno 1689 sancta, quibus praefati Canonici innituntur, ut ipsis liceat saltem diebus, quibus concio habetur, omittere cantum Praefationis et Orationis dominicalis (summ. n. 2.). Etenim nullus Episcopus absque Sedis Apostolicae auctoritate, jus habet immutandi rubricas Missalis romani et Caeremonialis Episcoporum vel ab earum observantia eximendi, praesertim cum hac unice*

in utilitatem et commodum sacrorum ministrorum vertit.

Hinc proposito dubio rescriberem: Negative.

**Dubium II.** Utrum ferri valeat usus Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono vel Subdiacono, cum praesto non est aliquis ministrorum?

#### Volum Caerem. Magistri.

Quamvis non pauci sint abusus, qui paulatim in sacra liturgia irreperunt, attamen nemini unquam in mentem venit, Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono vel Subdiacono. Siquidem, cum ad Sacrosanctum Missae Sacrificium dignius et major cum veneratione confidendum, Ecclesia divina ordinatione plures et diversos ministrorum Ordines, qui Sacerdoti ex Officio deservirent, constituerit absque gravi ecclesiasticarum legum spretu, nullus ex his, praesertim qui praestantiori munere fungitur, excludi potest a Missa solemnni, quae cum ministrorum interventu celebratur. Praeterea, cum ex rubricae praescripto tum Diaconus tum Subdiaconus in Missa solemni diversa ac distincta munera eodem tempore perficere debeant, alterutrius defectus totum rubricarum Ordinem pessundaret. At hac in re magis immemorari non existimo cum evidentissime appareat, nihil aliud esse respondendum nisi: Negative.

S. C. resp. ad 1. et 2.: In voto Magistri Caeremon.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861 p. 781.)

Quum Rmus Blesen. Episcopus S.R.C. exposuerit quod in sua Blesensi dioecesi sicut in quibusdam aliis Galliarum dioecesis consuetudo invaluit, ubi desunt Diaconi et Subdiaconi pro Caeremoniis

Missarum solemnium duos laicos sive juvenes sive uxoratos induendi vestibus sacris, nimirum amictu, alba, cingulo, tunica vel dalmatica, nunquam tamen stola et manipulo per Missam majorem, quorum alter Diaconi munere fungi, alter Subdiaconi ministerium adimplere censemur, quintam aliquam functionem ad hoc sacros Ordines pertinentem obeant; nam Celebranti tantum assistunt, ut inde major sit Missae majoris solemnitas: ac proinde idem Episcopus Sacram ipsam Congregationem cum requisierit an invectam hanc consuetudinem conservare vel potius de medio tollere debeat? Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati in ordinariis comitiis, post auditam a Secretario fidelem relationem, rescribendum censuerunt: *Consuetudo tanquam abusum omnino eliminanda et in casu Missa cantetur per solum Presbyterum.*

Atque ita servandum mandarunt.

Die 11. Sept. 1847.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 55. p. 191.)

#### 13) Officii.

Vd.: *Off. non approbat.; Breviar. Bened.; Festum (mutatio); Rubrica; Sepultura (Ritus); Dupl. (dignit.); Festum (Ritus); Fest. B. M. V. (eius Ritus); Officium (transl. in seq. annum etc.); Episcopus (Officii recit. decr. n. 1452).*

Cum contingat pluribus Ecclesiis legata pia relinqu cum onere celebrandi Officium alicujus Sancti sub altiori Ritu, quam qui a Sede Apost. est illi praescriptus, interrogatur, quid faciendum?

S. C. resp.: Indulgendum esse ut Officia hujusmodi quoad pompam extrinsecam, non autem quoad Ritu ecclesiasticum solemniter celebrentur. n. 1501 die 14. Maii 1644.

Capitulo Ecclesiae s. Deodati nullius dioecesis fuerit relicturn Legatum

cum onere recitandi nonnulla Officia a Sede Apostol. approbata multorum Sanctorum et Sanclarum in breviario rom. contenta sed *mutato Ritu* semi-dupl. in dupli et simplici in semi-dupl. cum conditione, quod si illa Capitulum omiserit vel ullo paeto mutaverit, bona ad haeredes testatorum devolvantur.

S. C. resp.: Praefata Officia tuta conscientia posse recitari *juxta rubricas Breviarii rom., non obstantibus contrariis obligationibus a testatore impositis.* n. 1579 die 6. Apr. 1647.

Ad relationem, quod in Cathedr. Compostell. et in tota dioecesi de pluribus Sanctis, quorum Officium in Breviario est simplex aut semidupl., recitatur dupl. ex antiqua consuetudine,

S. C. resp.: Servetur Bulla Pii V. impressa in Breviario. n. 2749 ad 5 die 28. Sept. 1675.

Ad relationem: Die 16. Aug. fit in civitate Plebis processio cum statua s. Rochi per civitatem cum interventu Magistratus voto adstricti et populi concursu. Quaeritur: an Episcopus possit concedere Officium dicti Sancti sub Ritu dupl. maj., cum sit patronus minus principalis, transferendo Officium dupl. min. s. Hyacinthi ad primam diem non impeditam?

S. C. resp.: Negative. n. 3677 ad 3 die 8. Mart. 1704.

In Ecclesia Colleg. Nullius dioeces. Spirens. non servatur in multis Officiis, quae sunt Brev. rom., Ritus praescriptus in Calend. rom., sed celebrantur altiori Ritu juxta formam dictae dioecesis, cuius Episcopus praedictorum Officiorum Ritu immutavit. Quaeritur: an Ecclesia Colleg. exempla reassumere possit dicta Officia juxta Ritu praescriptum in Calendar. rom., non obstante consuetudine?

S. C. resp.: Affirmative. n. 4330 ad 2 die 21. Jan. 1766.

Non licet aliquid ex devotione seu ex auctoritate privata miscere, mutare vel opponere inter ea, quae integrant Officia cuiusvis diei, quia in Officiis Sanctorum nihil est addendum vel immutandum, nisi a S. Sede Apost. concessum fuerit.

S. R. C. 10. Juni 1690. *In una Ord. s. Bened.*

Expositum fuit S. R. C. nonnulla Officia SSrum in regno Bohemiae in Congreg. Benedictina inconsulta Sede Ap. elevata esse ad Ritum altiorem eo, qui est praescriptus in Calend. rom. aut in concessionibus a S. Sede factas et alia recitari de quibusdam, de quorum Canonisatione non constat. Idcirco quaesitum fuit:

1. An valide id fieri possit?
2. An monasteria teneantur ista colere et publico cultu in Ecclesia tam in choro quam in Missa?
3. An in futurum tales Ritus servandi sint a monachis, qui a Praeside Congregationis instituuntur?
4. An jus habeat provinciale capitulum hoc statuendi?

S. C. resp.: Negat. in omnibus et omnino servandum esse decr. 8. Apr. 1628 et Constitut. Pii V., Clem. VIII. et Urbani VIII. in initio Brev. et Missalis rom. impressas.

Die 30. Aug. 1692.

#### 14) Origo diversi Ritus.

Vd.: *SS. Trinitas (fest. privil. decr. n. 4680 nota ad finem); Extrema Unctio (Unctio pedum etc. decr. n. 4780 nota); Missa (Celebans sedere non debet; Epistola PP. Bened. XIV. n. VII. etc.)*

#### 15) Romanus.

##### a) Acceptatio et Observatio.

Vd.: *Extrema Unctio (Unctio pedum; decr. 4780 nota); Ritus graecus; Instr. Clem. §. XXXVI. n. 18. 21. etc.; Ritus Missae etc.; Rituale rom.; Ritus latinus; Missa (Ritus etc.).*

*Ad dubium*: 1. An in paroeciis nuperime unitis dioecesi Novariensi, amplecti possit et debeat Ritus romanus seu potius retineri Ambrosianus? Et qualenus affirmative ad primam partem;

2. Num praecipiendum id sit nomine S. C. vel potius facienda potestas Emo Episcopo, qui pro sua prudentia et arbitrio, juxta diversas circumstantias facultate utatur sibi tributa, indulgendo, relaxando, cunctando et tolerando, ne ex Ritus mutatione orientur scandala, divisiones, dissidia?

3. Quae media insinuanda sint Emo Episcopo, ut sine contentione disponantur populi illarum paroeciarum ad amplectendum Ritum romanum, Ambrosiano relicto?

Et S. eadem C. . . censuit rescribendum: „Juxta Vota Consultorum et consulendum SSmo ad mentem“, mens autem est: „Quod licet Ritus Ambrosianus laudabilis et rationabilis sit, cum tamen magis congruat Romanum inducere in paroecis nuper unitis dioecesi Novariensi, ideo S. C. insinuandum censem Emo Antistiti, ut mediis adhibitis, quae magis ei opportuna videbuntur, quin expresse praecipiat, allicere potius studeat parochos et plebem praefatarum paroeciarum ad Ritum Romanum amplectendum.“

Die 31. Martii 1821.

Facta autem de praemissis per infra- scriptum Secretarium S. S. D. N. relatione S. S. benigne annuit in omnibus die 3. Apr. 1821. N. 4580.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Votum Rmi P. Michaelis Zecchinelli  
Soc. Jesu:

Attente perfectis et accurate ex- pensis rationibus, quae in controver- sia de cessatione Ambrosiani Ritus in quibusdam paroeciis a Mediolanensi dioecesi avulsis et Novariae adscitis,

utrinque afferuntur, haec mihi notatu digniora visa sunt, quae ferendae sententiae viam quodammodo ster- nerent.

Animadvero in primis ex tribus ac viginti paroeciis, quae dioecesi Novariae adjectae sunt, septem dumtaxat, aut ad summum octo (ut apparet ex prospectu Emi Card. Archiepiscopi No- variensis) Ambrosiano Ritui tenacius inhaerere, ex reliquis novem tamquam necessitate compulsa ad Romanum transisse, alias, si minus sponte saltem pacifice mutationem admissee. His positis dico

*Primo*: Paroecias illas, quae vi necessitatis aut auctoritatis adactae in Romanum Ritum migrarunt, in eo perseverare debere, nec posse ad pri- stinos suos Ritus redire, juxta Decre- tum S. R. C. die 15. Martii anno 1608 in Trullen. seu Nullius, quod sic se habet: *Usus Missalis et Breviarii Romani semel introductus in Ecclesia aliqua, quae habebat particolare Missale et Breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui Missalis et Breviarii.*

*Secundo*: Paroecias illas, quae libellum supplicem obtulerunt, ut sibi liceat in antiqua suorum Rituum pos- sessione permanere, etiamsi id eis aliquatenus et pro tempore permette- retur, non esse tamen in tali posses- sione Decreto ullo a S. R. C. confir- mandas; hoc enim et invidiam turbas- que ciere posset in aliis paroeciis, praesertim illis, quae non tam sponte quam necessitate compulsa Romanum Ritum adoptarunt, et Emi Praesulis auctoritati nonnihil officere videretur.

*Tertio*: Easdem tamen paroecias, quae adhuc nutant et obnituntur, nullo Decreto S. R. C. ad veteres suos Ri- tuts abigendos esse cogendas, idque multis de causis.

*Quarto*: Ne praejudicium fieri videatur illis Ecclesiis, quae (ut parochi in suo

libello supplici notant) licet a Mediolanensi ad Bergomensem dioecesim translatae, tamen permissae sunt suos Ritus pacifice retinere.

2. Ne parochis s. Pontificis cle- mientiam pro retinendis suis Ritibus obnoxie implorantibus major a romano Ritu abhorrendi praebeatur occasio, si videant, se non modo, quod supplices rogabant, non ostinuisse, sed ad id quod detrectant, peremptorie com- pulsos.

3. Videtur id moris fuisse in Ec- clesia, ut in hujusmodi negotiis sen- sim et pedetentim potius quam de- cretorie ageret, cum M. Bonhomius Episc. Vercell., auctoritate apostolica a Gregorio XIII. accepta, visitaret Ecclesiam Comensem, hortatus quidem est, ut dimisso Ritu, quem dicunt Patriarchino, romanum amplecterentur, non tamen coegerit. Ipse etiam Episc. Comensis Joannis Antonius Volpi, qui Gregorio XIII., cuius fuerat Nuncius, maxime addictus erat, cum vellet ob- sequi Visitatoris placito, obnitibus tamen Canonicis, nihil obtinuit et, ne acerius ageret, illum cultum immuta- tum reliquit. Nihil etiam immutavit ejus successor, qui mortuus est anno 1595. Nec immerito id factum; ait enim Tertullian.: *Non possumus re- spuere consuetudinem, quam damnare non possumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus communicamus jus pacis et nomen fraternitatis.* Hinc Nicolaus I. ad Photii quaerelas respondens *de con- suetudinibus*, ajebat, *quas nobis op- ponere visi estis scribentes per di- versas Ecclesias, diversas esse con- suetudines, si illis canonica non ob- sistit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus vel eis re- sistimus.*

4. Ipsa S. R. C. cum ad instantiam Archiepiscopi Firmani et Card. Caraffae duo dedisset Decreta ad absolvendam

quamdam Coelestinorum consuetudi- nem, postea eadem revocavit die 30. Junii 1629 Urbano VIII. appro- bante in una Constitutione, quae in- cipit: *Exponi nobis etc.*

*Quarto*: Quandoquidem ex lucu- lentis rationibus, quas Emus Card. Archiep. Novarien. afferit in suo Pro- memoria, satis perspicue appetit fu- turum, ut serius ocius paroeciae illae ad romanum Ritum migrare cogantur, idcirco conveniens videtur facultatem facere Card. Archiepiscopo, ut pro prudentia sua agat, prout tempus et res postulare animadvertisit, concessis etiam aliis dilationibus, si opus erit, ad tollendas aut praecavendas dissen- siones. *Ipsa quippe mutatio con- suetudinis* (ut ait D. Aug. Ep. ad Jan. 54. al. 118.), *etiam quae adjuvat utilitate novitate perturbat.*

*Quinto*: Quod ad media attinet ad optatum finem assequendum aptiora, auctoritate motus Anselmi Cantauriensis, qui loquens de hujusmodi Ritibus: *Qui non in fide discordant, neque in unam colligi possunt consuetudinem, existimo (ait) eos potius in pace con- corditer tolerandos, quam discorde cum scando dammandos, auctoritate, inquam, tanti viri motus putarem suasu potius et ductu, quam vi et imperio agendum, etiamsi optata mu- tatio aliquantulum esset protrahenda.*

*Sexto*: Interim, ne quid inconve- niens circa promiscuum utriusque Ri- tuts usum contingat, quod aut scan- dalum creet aut s. cultus dignitati et decori adversari videatur, obligari possunt illi, qui suis consuetudini- bus perivaciter inhaerentes nonnisi aegerrime ab iis se divelli patiuntur, ut adamussim Ritus suos sequantur, et si ex defectu ministrorum, librorum aut similium id praestare nequeant, romanum Ritum admittant. Id factum fuisse appareat in Ecclesia Comensi circa abolitionem Ritus Aquileiensis

seu Patriarchini. Ex Statutis enim Synodalibus Comensibus annorum 1565 et 1579 arguitur, quod Ritus rom. nonnisi insensibiliter introductus fuit. Et sane Synodus anni 1579 „Recitent, ait, Sacerdotes Horas canonicas quotidie... secundum Ritum et usum Ecclesiae Comensis, qui Ritus in Missis celebrandis pariter observetur. Hi vero, quibus librorum Comensium copia non fuerit, Missali et Breviario romano novissimo utantur, donec reformati Comensi ratio ineatur. Et vero Ritus iste in Comensi Ecclesia Aquileiensis suffraganea usque ad annum 1598 perseveravit, quamquam eadem Ecclesia sub ducatu Mediolanensi comprehendenderetur.

*Septimo:* Ut mutatio isthaec cum majore plebium et Ecclesiarum, Ambrosiano Ritui firmiter inhaerentium, satisfactione fiat, posset fortasse ad tempus permitti, ut, quatenus pro dignitate fieri possit, statis quibusdam diebus aut locis aut circumstantiis antiquo Ritu utantur aut in Sacrificiis aut in precibus etc., ut Ritus tam celebris, succedente romano, quemadmodum Synagoga vetus, succedente Ecclesia, non sine honore contumelias videatur. Ita nimirum factum fuisse legimus quoad Ritum Mozaram (apud Card. Bona) in Hispania, qui Ritus in sex Ecclesiis etiam post mutatos alibi Ritus diutius perseveravit, vel inter hostes, nec non nisi deficitibus quibusdam familiis, deficit et romanus ibidem introduci coepit, ita tamen, ut statis diebus pristino Ritu sacrificaretur. Ita etiam factum est in Ecclesia Comensi, in quam ubi Clemens VIII. induxit, abrogato Patriarchino, Ritus romanum, exceptit Officium B. M. V., quod quibusdam diebus secundum Ritum Patriarchinum recitari adhuc diutius consuevit.

*Octavo:* Caeterum, quoniam delectus mediorum, quae magis ex-

pediunt ad migrationem hanc Ritus pacifice et sine animorum offenditione ineundam, potissimum pendet ex notitia personarum, locorum peculiariumque circumstantiarum; idcirco mihi videtur totum id negotii Emo Episcopo committendum, quippe qui rem ob oculos habet et acu, ut dicitur, tangit.

*Nono:* Denique habenda mihi videbunt praec oculis verba illa Cl. Mabillonii Comment. in Ord. Roman. §. 21.: Laudanda in hujusmodi Ritibus constantia, modo caetera adsint, Ecclesiae pax et concordia atque christiana charitas, cui omnes Ritus cedere et suffragari necesse est. Et paulo ante: Ubi regnant antiqui Ritus, hi constanter retinendi: ubi novi prae antiquis praevaluerunt, antiquos laudare decet, novos non rejicere. Vix enim unquam accidit, ut quod semel usu receptum est, absque perturbatione mutetur. Et quidem ut Rituum varietatem induxit locorum varietas, ita etiam eorum iisdem in locis mutationem aliquando persuasit temporum diversitas.

Haec sunt, quae ex multis, quae in hanc rem dici possent, excerpti, ne longior, quam par est, evadam; quaeque, ut commisso mihi muneri satisfaciā, iudicio eorum, ad quos spectat, quique me tali honore dignatum, licet immeritum, voluerunt, humiliter subjicio.

Obsequentissimus in Christo famulus P. Michael Dominicus Zecchinelli e Soc. J. S. R. C. Consultor.

„Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae Ritus, in solemani Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.“

*Conc. Trid. S. 7. c. 13. de Sacr. in genere.*

„In quo, cum receptos et approbatos catholicae Ecclesiae Ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine Ritualis romani merito edendum publico Ecclesiae Dei bono judicavimus“, et in quo volumine comprehensi: „sacri et sinceri Ecclesiae catholicae Ritus, qui in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent“, apostolicae Sedis auctoritate prodierunt.

*Rituale rom. edit. a PP. Paulo V. 1614.*

Apostolicae Sedi per abundantiam divinae gratiae, nullis suffragantibus meritis praepositi, Nostrae sollicitudinis esse intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quo, sicut admonet Apostolus, omnia in ea honeste et secundum ordinem fiant; praecipue vero quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem, in qua religiose observari apostolicis traditionibus et sanctorum Patrum decretis constitutos Ritus et caeremonias pro Nostri officii debito curare omnino tenemur.

*Ibidem.*

Hortamus in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et dilectos filios eorum Vicarios necnon Abbates, Parochos universos ubique locorum existentes et alios, ad quos spectat, ut in posterum, tamquam Ecclesiae romanae filii, ejusdem Ecclesiae, omnium matris et magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti, quae catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

*Bulla s. Pii V. 13. Julii 1570.*

„Cum invisibilia Dei per visibilia religionis ac pietatis signa, quae caeremoniarum nomine censemur, intel-

lecta conspiciantur, pastoralis Nostri munera curam ad hoc intendimus et ab omnibus ita fieri volumus et mandamus, ut in Sacramentorum videlicet administratione, in Missis et divinis Officiis celebrandis aliisque ecclesiasticis functionibus obeundis non pro libito inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Ecclesiae catholicae Ritus, qui in minimis etiam sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae in Ecclesiis seu saecularibus seu regularibus (iis exceptis, qui proprio vel Rituali vel Missali vel Breviario utuntur a s. Sede probato) contra praescriptum Pontificalis romani et Caeremonialis Episcoporum vel Rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant removere, quavis non obstante interposita appellatione vel immemorabili allegata consuetudine, cum non quod sit, sed quod fieri debet, sit attendendum.“

*Concil. rom. sub Bened. XIII. 1725 (tit. 15. c. 1.).*

Curabunt etiam Episcopi, ut in suis Cathedralibus Ecclesiis in omnium Sacramentorum administrationibus atque id genus aliis, praesertim in sponsorum benedictionibus, Ritus serventur et caeremoniae secundum traditiones sanctae romanae et universalis Ecclesiae; alii vero omnes inferiorum Ecclesiarum qualcumque Rectores in his omnibus a Cathedralium Ecclesiarum observatione nulla ex parte discedant, sed eis omnino se uniformes reddant.

*Conc. Salisburg. 1569. Const. 42. c. 8.*

Clerus Hispianiarum S. Rit. Congregationi exponi curavit, non sine Christi fidelium scando in regnis Hispania-